AD ITINERARIVM ALEXANDRI

ADNOTATIONES CRITICAE

SCRIPSIT

DIDERICVS VOLKMANN

Itinerarium Alexandri cum viginti duobus abhinc annis in programmate huius scholae unius libri Ambrosiani gravissime corrupti et in fine mutili collatione adiutus ederem, in praefatione dixi sperare me fore, ut aliquando novi reperirentur codices ad veras lectiones restituendas idonei. Qua spe doleo me deiectum esse. Neque enim aut aliorum officiosae sedulitati aut meae operae contigit, ut in Britanniae vel Germaniae vel Italiae bibliothecis alterum codicem investigaremus, et quod olim suspicatus sum (praef. p. VI) extare in bibliotheca Parisina aliquem ipsius Itinerarii codicem, in errore versatum me esse postea demum cognovi, siquidem quae Guilelmus Favre-Bertrand (Bibliothèque universelle de Genève 1818 p. 217) de subsidiis a Maio in editione sua paranda neglectis dixit non spectant nisi ad Iulii Valerium codicem Parisinum 4880 (cf. quae idem vir doctus disputavit Mélanges d'hist. littér. II 153 sqq.), in quo pauca Itinerarii enunciata partim Iulii Valerii verbis intermixta, partim in margine adscripta sunt. Quorum quidem frustulorum duo iam a Carolo Mueller deprehensa atque in editione Didotiana (Pseudocallisthenes p. 48. 120. 157. 167) itemque in mea Itinerarii recensione p. 6, 20 et 28, 7 commemorata sunt; eadem denuo attulit Bernardus Kuebler in Iulii Valerii editione p. 57, 17 et 125, 15, duos praeterea locos, quos non aliter comparatos esse libri Parisini collatio a Wendelino Foerster facta me docuerat, ipsos quoque commemoravit Kueblerus, ita tamen, ut unde desumpti essent non perspiceret: p. 55, 51 *et quemque vulneratum curari — salutantem* = Itin. p. 9, 7 sqq. et p. 110, 16 *Transmis ergo regionibus — rege se dedunt* = Itin. p. 25, 6—21. Singula verba prout in libro Parisino tradita sunt qui cum Ambrosiano comparaverit, is facile intelleget se nihil fere ex illis ad emendandum Itinerarium lucrari, immo in utroque codice nonnulla verba pari modo esse corrupta. Nam quod in Itinerarii verbis p. 9,10 *ubi additur Hephaestiona una cum vidissent indiscretius cultum, de auctu (actu* P) *corporis melius opinatas ipsum pro Alexandro salutasse* P ante Hephaestionis nomen *testimonio* vocabulum adiectum habet, id dittographia ortum nec in verborum contextum admittendum esse apparet. Contra altero loco p. 25, 13 *ducenta denique triginta boum milia* (om. P) *illic capta formae merito destinat una (destinatum a* P) *Macedoniam cultum agros suorum et suascitum* prorsus eandem in utroque codice apertam gravissimamque habes corruptelam, quam post vana aliorum conamina felicissime sustulit Hermannus Roensch scribendo *cultum agrorum suorum exsuscitatum.* Paulo maioris momenti videtur esse quod is qui P librum scripsit vel qui eum correxit Itinerarii verba, quo facilius insereret, modo liberius conformata suis accommodavit, modo non tam descripsit quam excerpsit, ut quaenam eius libri cui sua debuit indoles fuerit, non magis possit perspici quam qui factum sit, ut librarius quattuor illos Itinerarii locos tanquam *ex alio scriptore* desumpta vel inmisceret Iulii Valerii verbis vel tanquam errore omissa in margine libri adiceret. Verum etiamsi opinionem eorum non amplector, qui utrumque libellum unius fuisse scriptoris suspicati sunt (cf. Kuebler praef. p. VIII), hoc tamen concedendum esse apparet, haec duo opera si non ab initio, at certe diu ante undecimum saeculum in compluribus codicibus coniuncta exstitisse, quod ei non erit praetermittendum, qui in originem fontesque horum scriptorum accuratius inquirere volet.

Quare quoniam ad Itinerarii emendationem liber Parisinus adiumento sit propemodum nulli, peropportune accidit ut duo folia membranacea ipsa quoque saeculo XI scripta mihi innotescerent, quae in bibliotheca Guelferbitana asservantur signata ‚Extrav. 259, 1'. Vnum folium num. 34 r. et v. continet Itinerarii verba p. 13, 9 (cap. 57 ed. Maii Mediol.) *mauolunt in Causamelis* usque ad p. 15, 2 (cap. 63) *ut spes fugae blandior cuique,* alterum num. 33 r. et v. contextum qui legitur p. 18, 10 (cap. 77 M) *me uinculis crebrioribus* usque ad p. 20, 11 (cap. 85) *cum sacrificia prohibere.*

Hinc efficitur ab eo qui folia numeris 34 et 33 signavit, cum cuius scriptoris fragmentum esset ignoraret et res narratas diligentius examinare omisisset, numeros perperam inverso ordine additos esse. Iam cum singula folia tot fere verba complectantur, quot in editione mea impressa vicenis singulis vel binis lineis continentur, lacuna autem, quae est inter primum folium extremum et alterius initium, octoginta quattuor linearum eiusdem ambitus sint, manifestum est servatam esse eam foliorum compagem, quae proxima afuit a media deperdita, ut si codicis quaterniones octonis foliis constitisse fingas, huius quaternionis folia tertium et sextum vel foliorum par tertium superesse existimandum sit.

Atque quo facilius intellegatur, quae ratio intercesserit inter codicem Ambrosianum eumque cuius relliquiae sunt folia Guelferbitana, quidque haec ad emendandum faciant, non abs re visum est omnem scripturae discrepantiam praeter quisquilias orthographicas hoc loco referre. Sunt igitur quae in foliis Guelferbitanis ab Ambrosiano recedunt haec:

Fol. 34: p. 13, 10 *in caus . melis* *urso Darius* 12 *eius gratiae reum petisse* 14 *deligit taendendo hosti suis abiundum.* 15 *ut quod* 16 *peteretur* *quadruo* 17 *Neque persarum* 19 *trepidi acie* (omissis verbis *et circumspectantes itidem ut constiterant in*) 20 *spe uictoriae* 21 *cauctioni licet* *inscitiae* 23 *milibus* 24 *dextrum suum cornu* 25 *inruere* *anticipiti* p. 14, 1 *trusos hostes* *obturantium* 2 *peruicaciamde. At enim bactris poenas* 3 *Alexander* (sequitur una littera *a* ut videtur vel *q* ab ipso scriba pro falsa cognita ac detersa) *Ac sic scitae* 5 *iactantium* *annonis est alacritas* 6 *obnitendum* 7 *Cum contra os . . . quamuis* 8 *siccoque Nauiter eos pannoniis* 9 *impetere trudentibus aut continentibus* *aestum artius* 10 *Ex quo res* *persis et respiramento* *currilium* 11 *praedocti paeones* *inruere cursus* 12 *denseti* 15 *phalangam Alexandri* 16 *tendens ut* (om. *suos*) 17 *sinit. At eo* 18 *ignitior* 19 *incondie* 21 sq. *sententiam secuti regis* *consultant. quamuis iam pars* 22 *machinum acie* 23 *competunt domum itionem. Sed haec sane in alexandri* 24 *Egra satis* 25 *pensaruntque* 26 *damno aut* *anticipiti* p. 15, 1 *suppediaretur* 2 *cuncti laberentur* (om. *protinus*)

Fol. 33: p. 18, 10 *me uinculis* 11 *His quippe peractis* *superiectui* incertum an *superiectus* ex *superiectu* corr. eadem manus *trabicularum (trabilacularum* A) 12 *calcatui tabularum fragmenta* *integrauerant* 13 *transportantis non usu prestantibus* 15 *tamen quibusque ausus* 16 *quin* *peruiantibus* *ibi* *suis communis* p. 19, 1 sq. *tolomeum lagi* (om. *vero*) 3 *offertur una ceu flammeae irae eius extinctui* *increpito* *proque eo nomine* 4 *comprehendit Nationem* *tempus amendat* 8 *tanaimque* *caucaso* 9 *humo hausia paludibus metis* 10 *itinere tunc praemissos machedones* 11 *obfusi* *obprimunt* 12 *Enim ipso alexandro* 13 *conflictu* 14 *liberentur* 15 *legationi* 16 *uictorum* 17 *ad . . ngit* *uera* 19 *cognominibus alexandriis* 20 *id in eadem* *Sed id inconciliantibus* 21 *Quarumque cyri* 22 *dicti. Craturus* 24 *tum cyri* 25 *Nullis* corr. ex *Nullus* *machinis inatmotis* 26 *ut prius primo presumserat* *turbido interfluit* p. 20, 1 *alexander* *Tum secure urbis eius potitum* 2 *deferbuerat* 3 *inruperant* *saxo* *non eos etius* 6 *sic quoque maracunda* *obsideri* 7 *scytae* 8 *quam coepit absoluit. poena captorum* 9 sq. *Necessarii . . &. is incolis quos aetas ut uulnera deprecabantur.*

Id est militiam Nolentibus aut etiam Nequieuntibus 11 *scytis superuehi saepe conatum cum sacrificia prohibere.*

Primo statim obtutu apparet codicem G ab indocto librario satis neglegenter scriptum esse, ut viginti locis verba in Ambrosiano libro recte tradita aut corrumperet aut omitteret. Ex quo genere est, ut paucis sed eisdem luculentis exemplis defungar, quod *urso* scriptum habes pro *orso* (p. 13, 10), *spe* pro *specie* (13,20), *aestum artius* pro *aestu martio* (14, 9), *comprehendit nationem* pro *comperendinationem* (19, 4).

Maioris momenti est utriusque libri corruptelarum consensus, velut utrobique p. 13, 10 *Darius* forma exstat pro *Dario*, 13, 13 *si* ante *sibi* voculam intercidit, 13, 21 *quam* pro *quoniam* (sic enim praestat scribere quam quod Maius proposuit *quia*), 14, 3 exarata sunt verba *convertit Alexandrum nuntius suppetiatum suis post fugientibus quis imminebat* aperte corrupta necdum sanata; nam quod Klugium et Kochium secutus scripsi *suppetiatum suis quis hostis imminebat* non sufficere dudum intellexi; unum pro certo habeo supinum *suppetiatum* mutandum esse in gerundii formam *suppetiandum.* Adde quod p. 14, 6 Paeones *vel obtinendum* expeditius proeliari dicuntur, cum scribendum sit quod Aemilius Baehrens coniecit *ob indumentum,* vel quod ipse recepi *ob tegmentum,* vel quod nunc praetulerim *ob munimentum,* cf. Iul. Valer. II 25 (p. 87, 15 K) *propter similitudinem scilicet munimenti,* i. c. armorum. Similiter p. 14, 20 *decebat* legitur pro *ducebat,* 19, 1 *patientibus* pro *patientius,* 19, 9 *metis* pro *maeotis,* 19, 12 *obseruari* pro *obuersari,* 19, 13 *concrepunt* pro *conrepunt,* 19, 17 *quicquid* pro *qui quid,* 18, 13 *substratu levium densarumque itidem* pro eo quod dubitanter recepi ac ne nunc quidem verum esse spoponderim *densarumque utrium* (Kochius *cratium*). Eundem consensum habes 13, 10 sqq., ubi haec leguntur: *illic fertur orso Dario suos in bellum adhortari visum eunuchum, qui una affectibus captus refugerat, commodum dixisse, quo castitatis honore utque regie sui haberentur nullius absque eius gratiae reum* (*ereum* A) *petisse divinitus pro contione,* ⟨*si*⟩ *sibi iam fato non liceat, Persis Alexandrum imperare;* hic apparet post *gratiae* vocubulum lacunam esse statuendam, quam malim nunc explere scribendo *nullius absque eius gratiae* ⟨*expertes* (vel *egentes*), *quo audito Dar*⟩*eum petisse* et quae sequuntur, nisi forte praestat pro *eius* voce, quam ad ipsum regem refero, scribi *libertatis;* cf. quae Rogodunen, matrem regis captivam, ad filium scribentem facit Iulius Valerius II 25 (p. 90, 27 K.): *quid enim omnium est, quod te excitet ad indignationem, cum ipsae nos quoque, quibus fortuna timebatur tristior, honore* (fort. scrib. *pari honore*) *quo domi nulliusque indigentes agitemus.*

Contra saepissime haec folia veram lectionem suppeditant, cum deteriorem exhibeat liber Ambrosianus. Ac primum quidem confirmari vides quae in textum admisi sive in adnotatione commemoravi aliorum vel mea inventá haec: p. 13, 14 *deligit* (*diligit* A, correxit Muellerus), 14, 3 *Ac sic Scythae* (*Ac sic ite* A, corr. Maius), 14, 7 *cum contra* (*contra* A, *cum* addidit Haasius), 14, 11 *Paeones* (*pones* corr. ex *ponnes* A, em. Klugius), 14, 18 *ignitior* (*agricior* A, em. Letronnius, *acrior* Haasius, *agroecior*, i. e. efficacior, gnavior, magis strennuus, a graeco vocabulo *ἄγροικος* Roenschius), 18, 11 *trabicularum* (*trabilacularum* A), 18, 16 *perviantibus* (*perinantibus* A, corr. Klugius), 19, 2, *vinctus offertur* (*vinctus offerunt* A, em. Maius, *vinctum offerunt* Klugius), 19, 17 *studio vera discendi* (*vero discendi* A, em. Peiperus). Item 19, 19 lectionem *cogniminibus Alexandriis* coniectura a me receptam in G habes eandem; vellem tamen ibi *magnitudinis* genetivum suspensum illum e *disparem* adiectivo intactum reliquissem. Nec minus quod Peiperus (Philol. XXXIII, 743) 13, 16 *peteretur* restituit pro ea quae est in A forma activa, confirmari vides G libri auctoritate. Eadem ratione succurrendum esse moneo verbis 11, 3 *bellum iam sacrificio commendabat, i. e. commendabatur* et 28, 2 *quippe Alexandrum animo fuisse ad appetentias rigido et indomito hic quoque considerandum reliquit* scr. *relinquitur*, itemque Iulii

Valerii verbis II 24 (p. 84, 18 ed. Kuebler) *una cum armis praecipitat e ponte*, ubi *praecipitatur* scribendum, non *sese* pronomen ex epitoma in textum recipiendum fuisse existimo.

Pergo ad eorum locorum mentionem, quibus nunc demum quid verum sit perspicitur. P. 13, 20 sqq. commemoratur Parmenionis consilium, ut rex apud Gaugamela noctu in Persas irruat, *quod Alexander dissicit specie victoriae indecentis, reabse quia noctis fortunae confidere, ubi nihil cautioni licet, et imprudentiae est et inscitiae, quoniam consilia bellica longe tutius oculi metantur, quamvis ipsi haud amplius equitum septem milibus, id vero peditum quod Persis equitum.* In his dubium non est, quin unice apta sit *inscitiae* vox et reicienda Ambrosiani lectio *inscientiae;* aeque recte se habet sextus casus *milibus* et procul habendus est primus *milia,* quem compendio quod est in Ambrosiano *mit* arbitratus est Studemundus. Ceterum verbis supra scriptis contra amborum librorum auctoritatem alia mutatione opus esse moneo. Vereor enim ut dici possit noctu nihil cautioni licere, quapropter pro eo quod est *licet* scripsi *loci est.* Nunc leniore medella adhibita scribendum suspicor *ubi nihil cautiori licet.*

In eiusdem pugnae ad Gaugamela commissae relatione leguntur: p. 14, 9 *diuque ancipiti fortuna trusus hostis multo obdurantium damno in terga convertit,* scil. Alexander; carent haec idoneo sensu, quem assequeris, si cum G. scripseris *trusos hostes* et ex eiusdem lectione quae est *obturantium* elicueris *obturbantium* vocabulum proprie militare ex Tacito satis notum, quo Itinerarii auctor usus est etiam cap. XXXVIII (p. 20, 7) et cap. XXXXVI (p. 25, 10). Sequuntur verba: *ultra iam Macedonum peruicacia audebat (peruicatiam deat* A, *peruicacia inde.at* G, *peruicacia ibat,* Maius *p. iverat Muellerus, p. tendebat* Kochius)*; enim Bactris paene (poeñ* A, *poenas* G) *frontis in medio numero claudentibus convertit Alexandrum nuntius* et q. s. Si recte ex litteris *am deat* vel *a inde at* restitui *audebat*, forsitan praestet scribi *avidebat;* cf. *avidentes* participium, quod (p. 27, 21) exaratum est in libro Ambrosiano, et quae post brevem meam adnotationem praef. p. VII. disputavit Roenschius in Fleckeiseni annalibus XXVIIII (1883), 656. Etiam probabilius extremum enunciatum ope G libri emendari posse confido; nam cum *claudentibus* verbum absolute poni nequeat, utique reiciendum est *paene* adverbium propositum a Maio, a me receptum; pro quo cum A habeat *poeñ*, G *poenas*, duabus litterulis transpositis scribendum esse *peonas* i. e. *Paeonas* manifestum est, cf. Arrian. III, 13. — Pariter paulo post 14, 8, vitia quibus laborant verba *verum sic quoque inter (*G *naviter) cos Paeonibus* (codd. *Pannoniis) nunc impete retrudentibus aut concitantibus (concinantibus* A, *continentibus* G*) immitti currus iubentur* tolli vides duabus lectionibus admissis *naviter* (cf. 14, 19 et 23, 17) atque *continentibus.* — Paucis lineis post (5) legitur *fitque pugna acerrima iactatum crebritate.* Ambrosiani scripturam *iactatum* pro *iactatuum* (cf. praef. p. VII, adde *visum* 20, 24) servandam esse duxi ratione habita Arriani verborum III, 13, 4 *καὶ ἔπιπτον μὲν πλείους τῶν Ἀλεξάνδρου, τῷ τε πλήθει τῶν βαρβάρων βιαζόμενοι καὶ ὅτι αὐτοί τε οἱ Σκύθαι καὶ οἱ ἵπποι αὐτοῖς ἀκριβέστερον ἐς φυλακὴν πεφραγμένοι ἦσαν,* quamquam etiam tum suspitionem movebat mirum dicendi genus, quoniam iactatus nomen significat actionem iactandi nec idem esse potest quod strages vel clades vel iactura. Verum ne ab Arriani verbis sed a lectione *iactantium* in G exhibita proficiscendum esse censeas, ea quae sequuntur verba admonent: *Quippe Paeonibus (pannoniis* A, *annonis* G) *alacritas est amica more gentis suae vel ob munimentum (obtinendum* codd., vide quae supra adnotavi) *expeditius proeliantibus, quod praeter scuti usum loricae ut oneris neglegunt, cum contra hosti quamvis gravis inpenetrabilis tamen ac satis firma corpus omne munitio clauderet et tueretur.* Voluit igitur scriptor dicere, acerrime dimicatum esse propter utriusque exercitus perseverantiam, cum Paeones ob armorum levitatem expeditius proeliati virtutem alacritatemque insitam praestitissent, contra hostes graviter armati meliusque adversus tela tecti ac muniti acriter obstitissent. Quare *iactantium* vocabulum facili errore ex *iaculantium* depravatum esse conicio.

De curribus falcatis in dextrum Macedonum cornu immissis sic pergitur — verba ita scribam quem ad modum in A sunt tradita: *Eaque res et fraudi Persis et spiramento. Quippe curulium* (*currilium* G) *falcium discedentibus his qui imminebant Scyte praedocti pones* (recte Klugius *Paeones*), *ubi inruere currus intueutur, sensim in latera deniseti aditum quidem transituris dabant, utrimque tamen equos bigas aurigantesque facile confixerant.* Haec verba non uno vitio inquinata varie restituere conati sunt editores. Et in primo quidem enunciato cum verbo aegre careamus, iure a Maio additum esse *fuit* concedamus oportet, sive ut ille voluit post *Persas,* sive post *spiramento* collocabis. Nec *respiramento* vocabulum quod unice rectum G servavit pro eo quod A habet *spiramento* recipere et *expiramentum* a Carolo Mueller propositum improbare dubitabimus. Non minus certum arbitror respuendam esse eam quam Kochio, non codice auctore post *spiramento* inserui vocem *Macedonibus;* neque enim hi curribus falcatis emissis parumper laboribus levati sunt, sed ipsi Persae, quippe quibus eo usque acriter et enixe pugnandum fuisset. Aliquanto difficilius est vel explicare vel recte constituere alterius enunciati initium, quo opus est expositum fuisse, cur emissio curruum Scythas et levarit per breve tempus et frustrata sit, nam inverso ordine hanc rem explanatam esse apparet. Iam cum in verbis supra allatis desideretur verbum e quo pendeat genetivus *currilium falcium,* nec Scythae, ut provehendi facultatem curribus facerent, discessisse dici possint, propterea quod currus ante aciem locatos fuisse et per se consentaneum est, et diserte narrat Arrianus (III 11, 6), pauca intercidisse suspicor, quae forsitan sic liceat refingere, ut scribatur *Quippe curulium falcium disce⟨ssu conquiesc⟩entibus his qui imminebant* (hoc est qui dextrum cornu tenentes ad currus falcatos pertingebant) *Scythis,* quamquam ne *Scythae* quidem formam per attractionem quandam accipiendam intolerabilem esse dixerim, nisi forte post *imminebant* incidendum et pro *Scytae* (sic A, *scitae* G) adverbium *scite* cum *praedocti* participio coniunctum scribendum est. De reliquis nihil habeo quod addam nisi v. 12 *denseti* formam pro vulgari *densati* in G rectissime traditam esse. Hoc participium non semel in Ammiani et Macrobii scriptis occurrere ostendit Neuius (lat. Formenl. [2] II 431). Denique pro *equos bigas* corrige *equos bigarum* ut 23, 16 *mores Abiorum* pro *mores Abios,* fortasse etiam 25, 16 *gentes Saccarum* pro eo quod A habet *gentes accas*, ubi si non casum, at gentis nomen restituit Bursianus.

Quae deinde (14, 20) post commemoratam Darii fugam sequuntur in A libro sic se habent: *neque difficile ceteri in sententiam s e c u t u s regis exemplum paria c o n s u l t a n s. Q u a s u i s i a pars multitudinis persicae rupta Macedonum acie in sarcinis praedarentur. quae tamen mox suorum comperta fortuna qua uia tutius conpetunt deminutionem.* In emendandis eis quae diductis litteris imprimenda curavi verbis aperte vitiosis alios secutum audacius quam felicius me rem gessisse etsi iam pridem intellexeram, tamen quid verum esset ex folio Guelferbitano demum didici. Ibi enim recte scriptum esse *secuti,* recte *consultant* (utrumque Maius proposuerat), recte *quamvis iam* (*dum Cadusii* Maius, *quoad Cadusii* ego) *pars — praedarentur,* recte denique *competunt domum itionem* nemo opinor infitiabitur. Nam ut latine dicitur *pedibus in sententiam alicuius ire* (vel *vadere,* ut est in Apulei Metam. II 7 et VI 32), ita quis dubitet, quin dici possit pedibus in sententiam alicuius sequi? Sed vereor ne *exemplum* vocabulum post *regis* genetivum moleste abundet; quod si ita est, vide ne scribendum sit *extemplo.*

In altero folio quod incipit *me* syllaba postrema *maxime* adverbii p. 18, 10 ante id quod est *vinculis* recte omissa est *in* praepositio. P. 19, 2 refert scriptor Ptolemaeum capto Beso ad Alexandrum redisse. *Nec mora vinctum offerunt, una ceu flamma ira eius extincta.* Dixi in adnotatione critica in A haec verba paulo aliter exarata esse, non *vinctum,* sed *vinctus,* non *flamma,* sed *flammo,* ac praeterea incertum esse, sitne postremum vocabulum *extincta* an *extinctui.* Iam cum G habeat *vinctus offertur,* stabilitur quod coniectura assecutus erat Maius, a quo non

fuisse cur recederem supra dixi. Praeterea G hance lectionem praebet unice rectam *una ceu flammeae irae eius extinctui,* in qua eo magis possumus acquiescere, quod ab Ambrosiani quoque lectione prope abest. — 19, 9 *pars fertur Tanaidos humo Asia paludibus maeotis emergere denuo.* In *humo Asia,* quod sensu carens recepit Maius non latere *humata,* ut est in editione mea ex coniectura Kochii, sed potius *humo hausta,* G. lectione quae est *humo hausia* evincitur. Ex eiusdem auctoritate 20, 2 *deferbuerat* scribendum est pro eo quod A habet *deferuerat.* — Agmen claudant duo loci, qui sunt de urbe iuxta Tanaim fluvium condenda regisque de nomine vocanda. 20, 7 *Ipse vicesima die urbem quam praecoepit* (*praecepit* A, *coepit* G) *substruit, poena captivorum usus ad operis festinationem tali in tempore necessarii, datis incolis quos aetas aut vulnera deprecabantur* et q. s. Praecoepisse verbi cum quod equidem sciam nullum praeterea exemplum sit, praeferendum videtur quod G exhibet *coepit.* Verum ex Ambrosiani *subruit* falso a Maio factum esse *substruit* probandamque G lectionem *absolvit* ea quae subsequuntur documento sunt. An statim post fundamentorum iactorum mentionem incolas potuisse commemorari putabimus? Paulo post (20) haec leguntur: *Verum imminentibus Scythis superbe, hi saepe conatum cum sacrificia cohiberent idque creberrime, vincit imperatoria indignatione, vinceret ratio, quae fato obviabant.* Sic A; nam prava vel mea vel aliorum ad hunc locum sanandum inventa, quae male credulus in textum recepi, taedet repetere. Vnus Bursianus rectam emendandi viam ingressus est, cum legendum suasit *supervenire conatum,* quamquam lectione A codicis etiam lenius mutata potuit rem absolvere, si scripsisset quod est in G *supervehi conatum.* Denique ipsum *prohibere* vocabulum, quo in fine mutilo alterum folium Guelferbitanum terminatur, anteferendum esse ei quod est in A *cohibendi* verbo, vix est quod moneam. Quae finem faciunt enunciati supra scripti non iam in G servata nunc facilius emendare posse mihi videor quam olim conatus sum, *indignatione* vocabulo distracto et *obviabant* verbo mutato in *obviabat.* Quidni enim legamus quod Ambrosianus liber commendat *vincit imperatoria indignatio, ne vinceret ratio quae fato obviabat.*

Haec de foliorum Guelf. lectionibus adnotasse satis habeo. In quibus ut propter vitiorum aliquot communionem maior cum A affinitas conspicua est, ita multo saepius praestantiores lectiones inesse vidisti, quae quotienscumque ab Ambrosiano recedunt, si aliquot neglegentiae scribendi exempla eximas, fere semper rectum aut exhibent aut quasi digito demonstrant, ut si integer codex, cuius exiguae nec tamen viles supersunt reliquiae, aetatem tulisset, aliquanto melius de hoc libello tot tam variis tamque gravibus vitiis inquinato futurum esse merito dicas. Vt nunc quidem res est, novam eamque emendatiorem editionem paraturo mihi ad coniciendum confugiendum, haud paucis de locis plane insanabilibus atque emendatione vere Scaligerana indigentibus desperandum esse video.

Quae Baehrensius Bursianus Detlefsenus Peiperus Roenschius alii attulerunt partim probabilia partim futtilia hoc loco singulatim enumerare vel examinare nolo. Roenschii coniecturam ad sananda verba 25, 13 in paucis insignem iam supra commemoravi. Eidem optime contigit, ut ex ipsis codicis vestigiis veram lectionem indagaret 18, 5. Besus satrapa, quo difficilius Alexander ipsum persequeretur *non modo gentem optaverat* (fort. *aptaverat*), *verum quicquid suppetule* (*suppetile* Letronnius, *suppetiarum utile* Kochius, *suppetibile* Peiperus) *insequentibus foret, id omne corrupta amolitasve incendio geminaverat difficultatem paria temptantibus.* Recte se habet quod Roenschius proposuit *amolitusve,* sed pro perfecto tempore *corrupit* ut mutatione non minus leni scribatur *corruperat,* suadet quod sequitur plusquamperfectum *geminaverat.* Non tamen concedo eidem viro docto 15, 5 *eo bello desiderati sunt viri centum* recte in codice exstare *desirati* formam, quam ille confirmari dixit et gallico verbo *désirer* et *desirium* vocabulo, quod occurrat apud Caelium Aurelianum et in glossis Papiae. Etenim non solum dicendi genus aliud

est in Itinerario, aliud in Aureliani chronicis passionibus centum fere annis post conscriptis, verum cum Itinerarii scriptor plena necdum mutilata desiderandi voce bis utatur (9, 7 et 24, 9), eiusdem verbi formam admissam esse modo integram modo mutilam prorsus incredibile est.

Ex coniecturis Baehrensii scite illis excogitatis nec tamen omni ex parte mihi probatis unam commemoro. Iubet enim vir doctus 7, 22 *Ita inter partes* (*interastes* A, *inter artes* Haasius) *est regiae fortitudinis formam ex se militi dare qui sese iactaverint* pro *formam* scribi *famam*. Equidem verba integra esse censeo propterea quod *forma* cum apud priscos scriptores tum hodie apud Italos idem fere significet quod norma vel exemplar. At *iactaverint* pluralem singulari numero mutari, aut pro *militi* scribi *militibus* videtur mihi necessarium esse. Memorabile vero virtutis exemplar a rege Macedonibus editum eo spectat, quod rex pulveris ac sudoris plenus et aquae frigidissimae cupidus ne armis quidem positis in Cydnum amnem qui mediam Tarsum perfluit sese coniecisse narratur. *Saltu pontem scandit — inque amnem sese translatus alacri saltu praecipitat eiusque omnem retentans arma latitudinem natat. Translatus* vocabulum prope verba *saltu sese praecipitat* otiosum ac molestum in duo solvendum est, ut rex dicatur trans pontis latus in flumen se coniecisse.

His pauca subiungere in animo est quae dum iterum ac saepius ad lectionem Itinerarii recurro, vel expediisse vel paulo rectius intellexisse mihi videor. Ac doleo sane quod ad tollenda plurima gravissimaque opusculi vitia, quibus prooemium (capp. I—IV) scatet, nihil fere bonae frugis eminisci potui. Quare incerta sequi supersedens unum tantummodo prooemii locum breviter tractare conabor. Capite quarto auctor, ut est humillimus assentator, Constantium ad persicam expeditionem se accingentem cum Alexandro comparat paremque belli, maiorem vitae fortunam et gloriae immortalitatem ei auguratur. 3, 8 *Ille sibi soli vicisse gloriatus factusque in amicos saevior quo felicior fructu victoriae caruit* (*calluit* A, emend. Hauptius) *ob id tumultuatus* (*obiit temulentus* Haasius, *obitu tumulturio* Baehrensius); *saluti vero romanae tu militans ei mox imperio contendes aetate, cuius te gloriae inmortalitas comitabitur.* Recte sine dubio in verbis *ob id* notionem obeundi latere dixit Haasius, apparet enim Alexandri mortem praeposteram eandemque indignam opponi immortali gloriae, quam Constantius sit adepturus. Verum cum durior videatur duorum verborum *caruit* et *obiit* vicinia et turbetur dicendi concinnitas, propius ad verum accedere puto coniecturam Baehrensii *obitu*, qui quod ablativum restituit, habet me consentientem, quod *tumultuario* proposuit, non item, propterea quod duo casus sexti cum *caruit* verbo coniuncti displicent, et praematuram potius quam tumultariam mortem commemorari exspectes. Quare dubito an scribendum sit *maturo obitu multatus.* Sequentia quem ad modum emendanda sint ignoro; sensui forsitan satisfaciamus scribentes *ei mox imperio conte⟨gendo de⟩des aetatem.*

6, 16 Quicunque Graecorum a Persis mercede conductorum in pugna ad Granicum facta ab Alexandro capti sunt, *eos ferro vinctos ⟨colere⟩ Macedoniae rura iubet. Colere* verbum addidit Maius, vereor ut recte, cum pro *rura* multo simplicius scribi possit *rurare* vel *rurari.* In genetivo sive locativo *Macedoniae* nemo haerebit; cf. Haasii adnot. ad scholas Reisigii p. 630. Similia similis dicendi rationis serioribus scriptoribus communis exempla in ipso Itinerario habes 16, 6 *Mediam dirigit*, ubi fortasse addendum est *iter*, 17, 4 *Mardos excurrit,* 17, 9 *Arios proficiscitur* alia.

7, 10 *Eoque de Macedonia sibi eques ⟨et⟩ pedes miles adhaerescit, viribus quam numero magis quo auctus protinus per Bithyniam — Tarsum Ciliciae venit.* In editione mea verba *quo auctus* Haasium secutus transposui post *adhaerescit;* nunc satius duxerim transpositione facta nulla post *magis* adiectivum aliquod inserere, quod ab huius vocubuli ductibus non multum distet, velut *insignis* vel quod ante *quo auctus* non minus facile intercidere potuerat *conspicuus.*

10, 23 *quod ea urbis suggestu ardua, harenis circa perpinquibus ut umectis satis subsidiis vallaretur. Vt* particula cum tolerari nequeat, *et* coniecit Maius quod in textum recepi. *Perpinguibusve* proposuit Detlefsenus. Pro *ut* procul dubio *vel* restituendum est, quam particulam saepe simplicis copulae vice fungi docui praefationis meae p. VIII. Alia ratio est loci p. 2, 13, ubi eandem voculam ex *ut* eliciendam esse rectissime coniecerat Buechelerus, et Iuli Valeri verborum II, 20 (p. 81, 21) *non modo flexi Lacedaemonii non sunt, sed ut confidentius in arma concurrunt;* scribe *sed vel confidentius.*

In difficillima Gazae obsidione cum Alexandro sacrificante avis quaedam lapidem in aram demisisset, augures et urbis ruinam et regis periculum portendi dixisse feruntur. Paulo post eruptione ex urbe facta dum rex praemoniti immemor vel incuriosus milites contra hostes ducit, scuto loricaque catapulta traiectis vulnus accipit in humerum, (p. 11, 8) *sed enim animo vim corporis sarciens capiendae urbis spem vaticinii fide de suo periculo ratam sentit et posthabito vulnere vi perdurat.* In his non erat quod *spem* in *spe* ac *fide* in *fidem* mutarem, quoniam non minus recte spes urbis capiendae quam fides vaticinii rata facta esse dici potest. Contra *de* praepositionem molestam, etsi non prorsus intolerabilem, tanquam dittographia quam vocant ortam deleri praestabit. Iam siquem offendit parium casuum qui sunt *fide* ac *periculo* vicinia, ea offensio facile removeri potest *e* vocula post *spem (spē)* addita.

11, 10 sq. *Quarta demum die irruit Gazam ac diripit colique in posterum sinit usus eius studio et opportunitatis utque haec talia sibi vinceret.* Pro *studio et opportunitatis* ut scriberem *situ et opportunitate* Kochius auctor fuit. Nunc autem haec verba non tam emendatione quam interpretatione egere video. Atque *studio* ablativum causae nullo addito participio cum ne priorum quidem temporum scriptoribus Ciceroni Sallustio Caesari Livio inusitatum fuisse certum est (cf. Draeger, histor. Syntax I, 503), tum iterum ac saepius in Itinerario invenimus: *studio fugae* 6, 14; *studio salutis* 14, 19; *Darii studio* 15, 25; *studio discendi* 19, 17. Ex hoc ablativo pendent verba *usus et opportunitatis* eodem modo eademque significatione coniuncta atque *emolumentum et opportunitas* (Sueton. Caes. 22), *utilitates* et *opportunitates* (Cic. de nat. d. II, 22) et quae eius generis sunt similia. Itaque haec verba ut in codice feruntur intacta relinquenda sunt, nec vitio laborant nisi quae finem faciunt enunciati *ut qui haec talia sibi vinceret.* Nihili esse quod olim probabiliter coniecisse mihi visus atque in textum admittere ausus sum *ut qui et talia sibi vindicaret,* dudum intellexi; possit cuipiam in mentem venire in *haec talia* verbis latere *vectigalia* et pro *vinceret* scribendum esse *vinciret,* quamquam dubito, num vectigalia sibi vincire recte dicatur qui ut certo statoque tempore pendantur in futurum providet.

Sequitur locus cap. XX, p. 11, 16, qui est de Alexandria in Aegypto condenda, quod quidem consilium rex cepisse dicitur *divum aevo rem proximam mortalibus insciens in opere pulcro perpetuari nomen auctoris. Proximam* pro eo quod A exhibet *proxima* ab Haasio erat propositum; malim nunc *proximare* verbum ab Apuleio aliisque posterioris aetatis scriptoribus non raro usurpatum. Praeterea qui ante *insciens* participium *non* voculam inserendam vel *sentiens* vel *sciens* scribendum proposuerunt, eos a vero aberrasse arbitror, nec dubito quin vera lectio sit *inquiens,* cuius formae quo rarior fuit usus — praeter unum Tertulliani locum a Neuio (Formenlehre [2] II 614) commemoratum exemplum novi nullum —, eo facilius librarii sive neglegentia sive inscientia potuit obscurari. — Porro scriptor narrat, cum fabris terram designare atque inscribere volentibus pulvis cretae defuisset, mitites omnem polentam quam in vasis haberent congerere iussos esse *eximque illos solo pingendo paruisse.* Extremum vocabulum iniuria a me et a Detlefseno (Philol. Anzeiger 1873. V, 156) in dubium vocatum prisca significatione dictum, ut idem sit quod *apparuisse* vel *praesto fuisse* (cf. Iulius Valerius II 25, p. 86, 18 ed. Kuebler *vel quid mage contrarium foret huiusmodi votis, quam si quod animo praecepistis, id vobis tuto*

pareret), non minus recte locum habet quam dativus gerundivi, cuius usum finalem a more huius scriptoris non alienum esse haec docent exempla: 7, 23 *minores — vires fuere sustinendae iniuriae.* 8, 3 *Philippus medicus alvo eius incitandae potum parabat.* 20, 16 *qualitas alvo laxandae efficacissima.*

Quod statim sequitur enunciatum ne ipsum quidem violentiorem emendationem requirit, sed lenissima, imo nulla fere mutatione in integrum potest restitui. *Sed enim mox in cetera providentia rege distento adlapsas alites depastasque edulium aspergine liniamenti.* Verba sic a Maio et Muellero edita sensuque idoneo destituta nec melius in mea editione tentata recta talo stare apparet, modo e codicis scriptura *edut aspergine* elicueris *edulem absterginem.* Neque in *providentia* casu sexto erat cur offenderem et Kochii coniecturam *providenda* admitterem, quandoquidem prorsus eodem modo auctor belli Hisp. c. 23 dixit *dum in opere nostri distenti essent.* Ceterum in transcursu moneo, hunc locum esse ex eorum numero, quos Itinerarii scriptorem non Arriano, sed alii cuidam auctori debuisse demonstravit Klugius p. 17. Etenim Arrianus III, 2, avium farinam depascentium mentione facta nulla, e solo farinae in urbe praescribenda usu Aristandrum vatem augurantem facit, urbem cum aliis rebus, tum frugum copia divitem atque opulentam esse futuram. Similiter rem narrat Strabo (XVII 792) praeterquam quod omen inde repetit, quod propter farinae multitudinem maior factus sit viarum numerus: *δι' ὧν καὶ αἱ ὁδοὶ κατετμήθησαν εἰς πλείους · τοῦτ' οὖν οἰωνίσθαι λέγονται πρὸς ἀγαθοῦ γεγονός,* quibuscum consentit Ammianus XXII, 16, 7. Quae vero de hac re in Itinerario referuntur, eadem fere Plutarchus (Alex. 26), Iaso Argivus (Steph. Byz. v. *Ἀλεξάνδρεια*), Curtius (IV 34), Eustathius (ad Dionys. perieg. p. 37) disertis verbis quamvis ipsi quoque inter se discrepantes tradidere. Quodsi ex alio fonte aut quae Klugii opinio est, e duobus fontibus diversis Itinerarii scriptorem sua hausisse necessario adducimur, eo magis improbanda est Klugii coniectura p. 11, 22 Alexandri nomen librarii errore cum Aristandri esse commutatum. Nam ut illam de avibus fabulam ab aliis scriptoribus vidimus commemoratam, ab aliis non item, ita diversa tradita fuerunt de ratione vaticinii. Et Alexandri quidem metum discussum esse complurium vatum imprimis Aristandri Telmissensis edictis Arrianus auctor est, cum Strabo et Plutarchus in universum de vatibus verba faciant, responsumque faustum a Iulii Paride (epit. Valerii Maximi p. 130 ed. Kempf) ad Aegyptiorum sacerdotes referatur, denique Curtius non a rege omen illud pro tristi acceptum esse dicat, sed a plerisque. In tanta relationum diversitate haud miraberis, ab Itinerarii auctore contra reliquorum testimoniorum auctoritatem vates induci infausta metuentes, Alexandrum in contrariam partem omen interpretantem. Itaque sive scriptorem ipsum talia sibi finxisse, sive aliunde sumpsisse, sive in excerpendo parum accurate versatum esse existimas, utique retinenda esse quae scripta sunt in codice verba ipsa documento sunt; non enim ceteri portenti coniectatores uni vati opponuntur, sed omnes regi.

12, 4 de Alexandri adventu in regionem Ammoniam haec narrat scriptor: *denique duos corvos draconesve praevios ivisse aiunt inimici fabularum, donicum locum sacri appulit* (cod. *apulit*) *ire sane secretum deo et ad mira quaeque credenda idoneum* (cod. *quaeque credendum*). Hic sitne *adpulit* an *appulit* scribendum diiudicari non potest, cum in *ad in cum sub* praepositionum verbis praefixarum orthographia librarius nequaquam sibi constiterit. Legitur *adferre* (4, 3; 9, 10; 21, 19) *adfuere* (10, 5) *adgreditur* (19, 24; 23, 23) *adgressus* (2, 14) *adgregatis* (10, 6) *adpulere* (5, 9) *adrogantia* (8, 15; 15, 22; 21, 11) *adsentator* (21, 17) *conplanare* (6, 5) *conpono* (2, 19; 4, 19; 15, 15) *conpetitio* (10, 10) *conriviis* (5, 16) *inmensus* (12, 5) *inmitti* (14, 9; 17, 21) *inmitis* (9, 28) *inmodestus* (22, 20) *inmodicus* (27, 15) *inmortalitas* (3, 10) *inpeditus* (17, 21) *inpenetrabilis* (14, 7) *inpensius* (11, 2) *inprovisus* (15, 21; 19, 11) *inritati* (22,3) *inruperant* (20, 3) *subpetiaretur* (15, 1), contra *affectio affecto affectus* (9, 1. 20; 13, 11;

24, 11) *annantibus* (18, 14) *apparatus* (3, 19; 8, 10; 10, 6; 13, 5; 24, 22) *appetentia* (28, 1) *appulerat* (8, 9. 12, 21) *arrogantia* (3, 8) *comminui* (28, 6) *comperta* (5, 15; 14, 22) *competente* (3, 13. 19) *competitio* (10, 10) *compono* (5, 20; 8, 22; 27, 16) *imminet* (4, 15; 12, 17) *impetrant* (12, 16) *improvidus* (4, 7) *improvisus* (15, 21; 19, 11) *imprudentia* 13, 21 (*inprudentia* G) *irritamentum* (4, 8; 5, 12) *irruere* (4, 6; 6, 9; 28, 7) *suggestus* (10, 22) *suppetiatum* (15, 1) *suppetule* (18, 4). Sed si verba ipsa spectabis, nec dici potuisse *donicum adpulit ire* cum Maio tibi persuadebis, et coniecturis adhuc prolatis ulcus sanatum esse negabis. Veram lectionem aut fallor aut facile nanciscemur scribentes *donicum locum sacri adpulit m i r e sane secretum deo et ad mira quaeque credenda idoneum.*

Deinceps haec sequuntur: *Quippe per inmensum illud pelagus harenarum loci facies offertur consita, arborum virens, nemoribus umbrosa, inhospita solibus, fontis affluens.* Quanquam liberioris usus genetevi quem relativum grammatici vocant etiam in Itinerario inveniuntur non pauca exempla, cf. *dispar magnitudinis* (19, 19) *inmodicus cupiditatis* (27, 15) *invitus obsequii* (7, 9) *promptus audaciae* (27, 21) *securus dei* (8, 17) *securus laterum* (8, 22) *securus sui* (16, 1), tamen his exemplis ea quae supra scripta sunt *arborum virens* addere dubito, propterea quod scriptor p. 7, 18 Cydnum amnem non *riparum*, sed *ripis* (cod. *ipsis*, Baehrensius coniecit *cypressis*) *virentem* dixerat et post *consita* vocabulum nude positum mira foret arborum mentio. Quapropter legendum propono *loci facies offertur consitura arborum virens.* Nec minus id quod sequitur *fontis affluens* illorum exemplorum numero eximendum arbitratus scribo *fontibus affluens*, id quod tota earum quae antecedunt quaeque sequuntur pluralium formarum series flagitat, usus dicendi commendat, denique Curtii verba *multique fontes* (IV 31, 16) suadent.

15, 12 Dareus ad Gaugamela victus in fuga Babylonem Susaque vitasse narratur, *quod eas urbes inlectu nobile sere auideque petiturum protinus sibi gloriae opinaretur.* In his verbis foede corruptis qualis sensus fuerit, discimus ex Arriano (III 16, 2: ὅτι οἰκουμένη τε ἐκείνη ἦν — καὶ ἅμα τοῦ πολέμου τὸ ἆθλον ἡ Βαβυλῶν καὶ τὰ Σοῦσα ἐφαίνετο) et ex Curtio (V 1, 7: *Babylona urbem opulentissimam dedi — iam Susa, iam cetera ornamenta causamque belli victorem occupaturum*). Neque id fugit interpretes, quorum tamen nemo commendabilem emendandi viam ingressus est. Conferas modo quae in adnotatione mea congesta sunt, nam singula inventa piget repetere. Verba cum audaciore ratione opus sit, non sine aliqua probabilitate fortasse sic licet refingere: *quod eas urbes inlectu nobiles fore avideque potiturum victorem fructibus ibi victoriae opinaretur.* Sed hanc quidem coniecturam valde incertam esse fateor.


15, 16 Victori acie ad bellandum instructa Babylonem procedenti omnes incolae timore dissimulato largis cum muneribus obviam eunt *eoque genere universi ad meritum recepti obsequio mutavere gratantes sibi, nec victore secus ad modestiam credito.* Hic cum extremum verbum ferri nequeat, quod in textum recepi *reducto* nunc pariter reicio ac Baehrensii *redito,* quia et reducendi et redeundi notio a sententia videtur aliena esse, nec Baehrensii coniectura eis quae Lucianus Mueller disputat (de re metr. p. 349) satis stabilitur. Itaque suspicor facili litterarum transpositione facta scribendum esse *ad modestiam directo.*

16, 14 Alexander posteaquam comperit Dareum fugientem a Beso in custodia teneri *voto pennatior et spe voti ignitior et viae usus asperiore compendio elaborare ad pretium morae abscindendae inopinus supervenit Beso.* Haec cum ita constitui, ut scriberem *compendio (ille labor erat pretium morae abscindendae) inopinus supervenit Beso,* parum circumspecte secutus sum Kochium, cum sufficeret una littera mutata scribere *elaboratae.* Rex accelerandi causa dicitur veritus non esse iter quamvis asperum et immunitum ingredi. cf. Liv. XXI, 48 *nullo satis digno morae pretio tempus terunt.*

17, 21 *Ipse Caucasum tendit amore vincendae difficultatis et illi quoque Alexandriam sibi*

ad fidem laboris institutae ac nominis difficultatem. Pro *institutae* vocabulo, quod ferri non potest, requiri indicativum *instituit* vidit Maius, sed perversissime idem delevit duo quae sequuntur vocabula *nominis difficultatem.* Quod ipse scripsi *instituit ac nominis* et eieci vocem *difficultatis* tanquam e proxima antecedente linea errore aliquo iteratam, etsi non omni caret offensione, tamen defendi potest, quoniam *facere aliquid ad fidem* idem fere est quod facere rem quae testimonio vel pignori sit (cf. Liv. XXIII 12, 1 *ad fidem rerum*), verum tamen sermonis et perspicuitati et concinnitati melius consulemus neque a codicis scriptura nimis longe recedemus scribentes *ad fidem laboris instituit ac nominis perpetuitatem* vel *diuturnitatem*, cf. quae de Alexandria urbe aedificata prodit Iulius Valerius I 29 (p. 38, 11 K.): *uti ex hisce litteris sui nominis perpetuitas in urbis partibus celebraretur.*

22, 2 Callisthenes ut regem fastu superbientem divinosque honores affectantem ad continentiam sanitatemque reducat, exponit quemadmodum privatus aliquis non impune regios honores usurpet, ita deos quoque indignaturos ulturosque, siquis mortalium divinos honores sibi vel ipse arroget vel ab aliis deferri patiatur. Quae sententia ab Arriano III 11, 4 totidem fere verbis prolata (*οὔκουν εἰκὸς — τοὺς μὲν ἀνθρώπους ἐς σχῆμα ὑπέρογκον καθιστάναι τῶν τιμῶν ταῖς ὑπερβολαῖς, τοὺς θεοὺς δὲ τό γε ἐπὶ σφίσιν ἐς ταπεινότητα οὐ πρέπουσαν καταβάλλειν τὰ ἴσα ἀνθρώποις τιμῶντας. οὔκουν οὐδὲ Ἀλέξανδρον ἀνασχέσθαι ἄν, εἰ τῶν ἰδιωτῶν τις εἰσποιοῖτο ταῖς βασιλικαῖς τιμαῖς χειροτονίᾳ ἢ ψήφῳ οὐ δικαίᾳ*) his codicis verbis continetur: *Callisthenes — arcere hominem et deducere palpo temptabat, eo quoque addito, quod quam iustum sit infestari eum, qui insignia regni quae sua sint usurpari ad, tam a diis posse puniri abiurationis, qui sibi adeos fauerant honore iactantiae.* Haec verba vitiis aliquot laborantia forsitan paulo melius conformari possint quam adhuc factum est. Ac primum quidem recte Maium ante *sint* inseruisse *non* vocabulum apparet. Deinde pro *usurpare ad* quam Baehrensius proposuit probabilem elegantemque coniecturam *usurpare eat,* eam admittere non dubito, itemque in *abiurationis* voce latere notionem *adorationis* Kochio concesserim, ita tamen, ut non quartum casum numeri pluralis esse putem, sed secundum singularis pendentem illum non ex *avidos*, quod post *puniri* addendum Baehrensius minus recte putavit, sed e *puniri* infinitivo, cuius structurae exemplis ab Haasio (ad Reisigii scholas adnot. 537) et Draegero (hist. Synt. I 449. 454) allatis ex ipso Itinerario haec addi possunt: 19, 3 *increpitum perfidiae servilis,* 19, 15 *Abii Homero iustitiae laudati,* 21, 16 *fortitudinis laudari,* 22, 10 *verberatur inmodestae fortitudinis.* Denique Peipero astipulor favendi verbum retineri et cum *sibi* pronomine coniungi iubenti, modo ne *faverent* scribas, sed *faveant.* Itaque postremam sententiae partem nescio an ita refingere liceat: *tam a diis posse puniri adorationis, qui sibi ad deorum faveant honorem merito iactantiae.*



Druck von H. Sieling in Naumburg a. S.